Danieli Tileno Theologo Sedanensi Salutem!

de Ao 1612.

Non parum miror, mi frater, dictatorium processum tui Antagonistae. Prius placuerunt ei arbitri vestrae controversiae fratres Genevenses. Hi litem non praejudicio suo dirimendam, sed aequanimitate et charitate vestrâ sopiendam putaverunt; nempe quia viderunt plus inanis λογομαχίας, quam fidei et pietatis in hac vestra περὶ δικαιώσεως controversiâ inesse, nec tam de scripturae divinae sententia, quam de hominum phrasibus et opinionibus litigari, quae nonnisi ad scindendas Ecclesias, et turbandam concordiam pertinent; quod et ego prorsus sentio. Quâ sententiâ si Molinaeus stetisset, benè consuluisset paci Ecclesiae. Quod verò Synodico decreto facto, parte alterâ non auditâ, jus vel ipse sibi dixit, vel alios fratres ad dicendum induxit, valdè doleo: quia ex hac flamma video incendium excitatum iri, nisi Deus provideat, quo omnes Ecclesiae vestrae conflagrent. Habetis circa vos Jesuitas hostes infestissimos, undiquaque in perniciem vestram nimis intentos: et istis etiam cessantibus, ipsi invicem mordendo devorabitis, nisi hoc pomum Eridos tollatur. Praetexunt decreto studium servandi consensum, cavendi novationes in confessione Gallicana. Atqui dum hoc profitentur, in id palam incurrunt, novitates inducunt. Articulus XVIII confessionis totam nostram justitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione, et hanc unicam esse nostram felicitatem disertè dicit. Decretum contra, justificationem totam in remissione peccatorum positam esse negat. Articulus jubet nos in sola Jesu Christi doctrina acquiescere,

et justitiâ hanc dicit nobis imputari, ut tegantur omnia nostra peccata, et gratiam coram Deo inveniamur. De imputatione justitiae activae nihil habet quam decretum urget, quasi non universa Christi doctrina et vita fuerit continua passio pro nostris peccatis ad mortem crucis usq;. Quod dicit, Christum tam morali, quam ceremoniali legi fuisse subjectum, non solum nostro bono, sed etiam loco: certe non habetur in Paulo, qui quidem dicit, Christum factum esse exinanitionem pro nobis, hoc est, nostro bono et loco: non dicit verò fuisse subjectum legi pro nobis, hoc est, nostro loco: id enim de lege ceremoniali, quâ nos gentiles nunquam tenebamur, verum non fuisset. Illud verò αἰνιγματῶδες quid sibi velit, non assequor, filium hominis venisse quidem ut serviret, non illum autem servîisse eò quod venerit? Credo ego filium hominis venisse, ut serviret nobis, quod ipse dicit: et serviisse nobis, non sibi, eò, quia nisi venerat, nisi enim venisset, servire nobis non poterat. Latet igitur aliquid sub hac argutiâ, quam à decreto Synodico abesse decuit, quia Synodi non debent scribere aenigmata, nec ludere argutiis. Quod omnes Ecclesiarum ministros, et Theologiae studiosos in sua verba jurare cogunt, Papalem authoritatem et processum sapit. Tunc nimirum rationibus in Ecclesia Romana à puritate verbi divini paulatim discessum est, Episcopi in hominum verba adacti fuerunt sub anathemate: quod solum vestro decreto deest. Similibus formulis Ubiquitarii in Germania fran-

παντάχοθεν tuentur, dum omnes Ministros Ecclesia-
sticos et Politicos in suas phrases jurare compellunt.
Atqui tales processus hactenus ignorarunt, imo improba-
runt Ecclesiæ nostræ. Non desunt enim modi alii legi-
timi tuendi consensum, et servandi puritatem doctri-
næ. Quod denique sublicet, decretum servandum, executi-
oni mandandum in singulis hujus regni provinciis, edi-
ctum Prætorianum sapit, quale si in Germania fieret ab E-
clesiasticis, perduellionis speciem habere &c. Sat fuerit,
si non nimium, dixisse, in omnibus regni Ecclesiis refor-
matis servandum esse &c. Quid vero si omnes provin-
ciæ regni Ecclesias reformatas non haberent? Quid
sentiam de vestro decreto, libere scripsi; non ut quen-
quam gravem, aut in alios arbitrium mihi sumam;
sed quia tu petiisti, quid sentirem, libere tibi signi-
ficavi. Quanto satius erat, in decretis Paulinis
nos acquiescere, quæ Rom: 3 & 4. et 5. Galat: 3 et 4.
Ephes: 1. et alibi præscripta habemus, in phrases, imo
et sententias Scripturæ, quas Gallicana Confessio Art:
18. fideliter et perspicue expressit, omnes Ecclesiarum
pastores, et Theologiæ studiosos unice adstringere,
et hunc consensum adversus Pontificios, quibus ille
est oppositus, candide tueri: novationes vero et ar-
gutias, quæ nihil nisi rixas fratrum pariunt,
infirmos offendunt, firmiorum fidem labefactant,
omittere, et charitate potius, quam ingenii osten-
tatione invicem certare: illud Apostoli habentes
in oculis: Scientia inflat, charitas ædificat. Utile
fuisset nostro exemplo. Cum anno 90. Explicationes
Catecheticæ D. Ursini primum excuderentur Neu-
stadii, non deerant fratres aliqui nimis argute
ingenti in hoc ipsum scholium: juvenerant forte

in pagellis aliquid de justificatione scriptum, solo quod
palato non omnino saperet. Lis movetur: editio
ad tempus inhibetur: ad colloquium ventum in Prin-
cipis Archivo: decretum factum, paucalis verbis
leniendam esse Ursini sententiam, editio permissa, ut
hodie habetur, controversia tota sopita, chari-
tas et concordia restituta. Sic quaeso facite: Tu
sine tam calidum decretum suo loco, dum deferve-
at paululum, neque de apologiis labora, ne forte frigi-
dam suffundas, illius poetae memor:

Vidi ego quassatas motu face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

fateor in doctrinam περὶ δικαιώσεως verbis et
sententiis Apostolicis et Confessionis vestrae, in
qua nil desidero, tradi, fore. Sic fratres, qui e-
andem sincere retinent, amant, novationes aversantur, forte
ubi acquiescent et cedent. Atque haec sunt, mi
frater, quae ad tuas respondere habui. Dominus
Deus pacis Erinnyn, quae vos perturbat, procul a-
verruncet, et Ecclesias vestras in veritate et pace sta-
biliat. Quod facturus est, si et vos pacis et veritatis
studiosi fueritis, obsecuti praecepto Prophetae, qui
dicit: Veritatem et pacem diligite. Vale. 16. Septembr.
1612.

131. D. Pareus

Cl. viro D. Hermanno Ravenspergero
Theologo Steinfurtensi.

Salutem. Post discessum infelicis hominis D. Vorstii,
quem ego D. Comiti piè defuncto primò commendaveram,
atque etiam ad Scholam illustrem vestram promoveram,
Vir Charissime, honorande frater, saepe apud me
tacitus de idoneo successore fui sollicitus, qui venena-
tam illam messem ibi pullulantem, et in vicinas
Ecclesias ad nos etiam usque sese diffundentem sin-
ceritate et dexteritate doctrinae in ipsa, ut dicitur,
segete